

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Huswedel

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis, Johannes Huswedelius ...
Ad Exequias Quas Matronae honestissimae Catharinae Kölbers/ Dn. Nicolaus
Frese/ Maritus moestissimus paratas cupit, Omnes Academiae Cives ... invitat**

Rostochi[i]: Kilius, 1639

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771569734>

Druck Freier  Zugang



Huswedel, J.,
in C. Köler,
uxor. N. Frese.

R. 1639.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn771569734/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771569734/phys_0003)

DFG



PROGRAMMA
Quo
RECTOR
Universitatis Rostochiensis,
JOANNES HUS-
WEDELIUS, Phil. pr. Prof.
AD EXEQUIAS
Quas
Matrona honestissima
CATHARINÆ
RÖLERSI

Dn. NICOLAUS FRESEI

Maritus moestissimus paratas cupit.

Omnis Academia Cives quo par est studio,
invitat.



ROSTOCHI,

Litteris NICOLAI KILII, Academ: Typogr.

Anno M DC XXXIX.



DE die mundi, ut & vita no-
stræ supremo Servator nos monet,
ut etiam atq; etiam videamus, ne
dulcedine quadam vitiorum ine-
briati, & vitijs in soporem securita-
tis collocati ab isto temporis articulo, incanti op-
primamur, atq; ita in salutis æternæ periculum
veniamus. Ut enim in excubiis, qui constituti
sunt milites, oculis minime somnolentis prospis-
ciunt, circumspiciunt, in omnem partem intenui
sunt, aures arrigunt, strepitum quemlibet captati,
quacunq; ex parte, quacunq; in arbore vel fruti-
ce excitatum observant, ne per tenebras obrepent
re somno incautis obrepatur una periculum. Ita
omnibus veram & seriam pietatem colentib; &
sui Redemptoris adventum exspectantib;, magna
& perpetua sollicitudine cœendum, ne perticis
voluptatum visco illitis, ne laqueis & retibus es-
cam peccati occultantibus decepti & implicati, in
manus infernalis aucupis veniant, & infelices
pœnas vitiorum, quibus dediti fuerunt, suant, &
æterno exitio citius, quam putassent, involvan-
tur. Contra vero, qui perpetuo studio pietatis
occupati, sobriam ac temperantem vitam agunt,
mane ad preces, vesperi ad gratiarum actiones

con-

65

confugiunt, qui sic dormiunt, ut vigilante ad
Deum corde, quasi in procinctu constituti, suas
lampades adorment, oleo instruant, hi parati cum
adveniente Sponso in thalamum ingrediuntur
& agni illius, quem sequuntur nuptiis, cum æter-
na latitia adhibiti, pietatis & vigilantiæ suæ præ-
mia nanciscuntur. Propinquum vero diem istū
esse nec omnino procul à nostro tempore distan-
tem ac remotum, & sacræ literæ & experientia
testantur. Illas ut adducam opus non est quæ o-
mnibus in oculis & manibus versantur. Ne ex-
perientia quidem accersenda est, quæ nobis &
plurima & evidentissima signa hujus rei ob ocu-
los ponit. Bella & bellorum rumores, morbi
contagiosi, annonæ caritas, laborantis in fine
mundi indicia, & mortis nuntij, quid aliud agūt,
quam ut omnes & singulos moneant, qui somno
securitatis obruti, in periculo versantur ne dor-
mire pergent, sed expperrecti oculos attollant, &
paulatim accendentis extremæ diei viciniam in-
telligant, animo vel sobrio & ad constantiam præ-
parato, velebrio & ad horrorem ac desperatio-
nem adducto, excepturi sententiam, à qua nec da-
bitur appellatio, nec differetur aut plane, ut so-
let, auferetur executio. Igitur, quidni felicem,
dicamus matronam & beatam, quæ sic semper vi-

Gg ij

xit,

xit, quasi postridie moritura, sic mortua est, quasi
in æternum vinctura. Eam hodie producimus
CATHARINAM Hölers/natam hac in urbe Anno
1582, ex parentibus honestis & primarijs. Pater
ei fuit BERNHARDUS Höler/civis Reipubl. prima-
rius, Mater ANNA Wellen/matrona pietate & vir-
tute ornatissima. Avus paternus JOACHIMUS
Höler / Avia materna CATHARINA Hagemesters/
Amplissimi Viri & Consulis Dn. BERNHARDI Ha-
gemesters filia. Avus maternus PETRUS Welle/
Avia materna Ilsebe von Bühren. Cæteros ma-
iores adducere, opus nō est, qui omnes, ut & quos
adduximus, fuerunt pietate, vita integritate &
omnibus officijs ad societatem civilem pertinen-
tibus conspicui. Ipsa nostra nunc pie defuncta,
ut Christianam decebat, per Baptismum corpo-
ri servatōris nostri mystico inserta, & in civitatem
cælestem ejusq; jus adscripta est, materna dein-
de cura ad pietatem, castitatem, & officia familia-
ria educatur & instituitur ita, ut vigesimo ætatis
anno Sponsum facile adepta sit JOACHIMUM Höp-
pener / civem hujus urbis primarium, cui legitimi-
nis nuptiis conjuncta fuit non infeliciter. Eo
tamen pie defuncto secundis nuptiis in matri-
monium convenit primario & patritio civi Dn.
NICOLAO Fresen/viduo nunc moestissimo, idq;
An-

Anno 1626. Cum eo hisce annis quasi tredecim
ita vixit, ut superstitione non leve sui desiderium re-
liquerit: siquidem pius maritus altera sui parte,
& animæ suæ dimidio orbat⁹, dolorem haud du-
biè sentit eximium, & in administratione dome-
stica difficultatem ac detrimentum. Ita igitur ab-
solute vitæ suæ cursu in cœlestis vitæ societatem
ingressa est, cum se nunquam securitati aut otio
perdendam tradidisset, verum in perpetua pietate
& sollicitudine, cum vera fide, spe & caritate
conjuncta, vigilanter vixisset, ac vitæ diem su-
prenum pie simul & constanter exspectasset.
Pervenit quidem hæc matrona ad nonnullam æ-
tatis magnitudinem, decepsit enim Anno ætatis
quinquagesimo septimo, sed ad majorem tamen
pervenerunt plurimæ, & hæc pervenire potuif-
set, si Deo, vitæ & mortis nostræ arbitro, ita pla-
cuisset: non placuisse vero, jam ipse eventus do-
cuit: Et sanè haud scio annori commodissimo
tempore ex hac vita decedant, qui sic decedunt,
ut neq; de brevitate vitæ habeant, quod conque-
rantur, neq; diuturnitatem ejus, propter senectu-
ris molestias & in commoda pluri ma quæ diu vi-
vendo videre & experiri coguntur: accusent. Qui
vel infantes moriuntur, vel in ætate puerili, ha-
beant forte, quod iniquitatem fatorum tradu-

Gg 3

cant,

cant, quia vitæ dulcedinem vix primis labris attingunt: Sed hoc immerito. Quid enim reprehensione dignum sit brevi navigatione defungi, & sine gemitu appellere in portum, quem alij misere querunt, nec nisi naufragio sèpè obtinet? Ab ista querela infantum & puerorum liberi sunt, qui ad annum quinquagesimum vel sexagesimum perveniunt: Quod si prius quam ad suum terminum pervenerint, calamitates experiri cogantur, quæ ipsis Confessionem veritatis, una cum gemitu & lacruminis, de vita humana, simul brevi & laboriosa, exprimant, accusare vitam desinant, cujus hæc est conditio, ut perpetua serenitate nō gaudeat: & si ante tempestatis & procellæ exortum ex vita decessissent, quæ infantibus, pueris, adolescentibus & alijs fortuna contigit, de calamitatibus quidem nihil, de brevitate autem vitæ omnes conquerendi ansam arripiuissent. Hæc ergo nostra beatè mortua, nec de vitæ brevitate habuit quod conquereretur, nec de infelici senectute: vixit enim annos ad quinquaginta septē; & ea quidem vidit, quæ animo dolorem attulerunt, si non oculis etiam lacrumas expresserunt. Quæ enim siccis oculis matrona pia & vidua posset adspicere, quæ adspicere his annis coacti sumus etiam viri, nec adspicere solū, sed reliquo etiam

etiam sensu experiri. Quæ qui non experti sunt,
ante viginti & plures retro annos mortui, cur nō
gratulentur sibi receptum, qui ad sensum eos pe-
riculi non pervenire sivit, vel si per venerunt, ma-
ture subduxit. Pariter sibi gratulabitur hæc no-
stra beata, & nos ei una quod nonnullas quidem
huc usq; senserit vitæ molestias, sed eas tamen
feliciter superaverit: cæteras vero, quæ nostris,
qui superstites ab ea relinquimur, moribus im-
minere videntur (quibus utinam seria pænitен-
tia emendatis, iram Dei averttere atq; ita quod im-
minet effugere possemus !) pie & beatè morien-
do anteverterit. Huic igitur piæ & honestæ ma-
tronæ funus hodie hora prima pomeridiana fiet,
conventu in ædem S. Jacobi indicto. Ad quod
eo ducendum honestius ac decentius, Vos, Cives
Academici amice rogamus, decenter invitamus
atq; admonemus, ut frequentes adesse & comi-
tari velitis. Causæ sunt quæ usitatè allegari so-
lent, officij Christiani honestas, imò & necessitas,
nostra ipsorum informatio ad meditandam no-
stræ mortalitatis certitudinem, merita defunctorum,
quæ suo id jure è nobis postulant, occasio
precandi Deum, ut imminentes calamitates à no-
bis avertat, ut pacem terræ ac temporibus nostris
restituat, & quæ alia hujus generis rectè ad ani-
mum

mum revocantur ac talia sunt, ut officiosos homines ad conservationem suę existimationis per movere debeant. Sed has ego causas non adyocabo hac occasione alias non semel à nobis adductas. Una est, quæ hactenus adduci non potuit; Videlicet imminens finis mei magistratus in successorem deyolvendi. Existimabo autem me non vulgari honore & obsequio affectum, si vos quam frequentissimos comparere in exequijs matronæ lectissimæ ornandis, deprehendero. Facite igitur, ut una opera gemini beneficij sitis collatores, defunctæ quidem, ut vestro adfectu gaudeat, non ipsa tantum, sed & superstes vi duus ac familia: Academiæ vero & ejus Rectori, ut obsequio vestro in re Christiana, honesta & citra existimationis læsionem non omittenda potiatur ac laretur. P. P. sub sigillo

Rectoratus die 24. April. An-

no 1639.



GUSTAV KOCH
Buchbinderei
ROSTOCK



Universitäts
Bibliothek
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn771569734/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771569734/phys_0015)

DFG



Anno 1626. Cum eo hisce annis quia
ita vixit, ut superstitione non leve fui de-
liquerit: siquidem pius maritus alter
& animæ suæ dimidio orbat⁹, dolor
biè sentit eximium, & in administrati-
stica difficultatem ac detrimentum
soluto vitæ suæ cursu in coelestis vi-
ingressa est, cum se nunquam secu-
perdendam tradidisset, verum in pe-
te & follicitudine, cum vera fide, sp-
conjuncta, vigilanter vixisset, ac
premium pie simul & constanter
Pervenit quidem hęc matrona ad n-
tatis magnitudinem, decepsit enim
quinquagesimo septimo, sed ad ma-
pet venerunt plurimæ, & hęc per-
set, si Deo, vitæ & mortis nostræ ar-
cuisset; non placuisse vero, jam ipse
cuit. Et sanè haud scio anni con-
tempore ex hac vita decedant, qui
ut neq; de brevitate vitæ habeant, c-
rantur, neq; diuturnitatem ejus, pre-
tis molestias & in commoda plurim
vendo videre & experiri coguntur:
vel infantes moriuntur, vel in æta-
beant forte, quod iniquitatem fa-

Gg 3



the scale towards document